



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Puellarum decertio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

V. (f) Malè egit Theseus sponsam tot nominibus sibi devinctam, deserendo. Ubi fides promissorum? ubi relatio gratiæ? ubi sacri fœderis (matrimonium intelligo) reverentia; quid deliquit Ariadne, nisi quia hominem in peregrinum, captivum, morte damnatum, nimis pia fuit? quia casus in incertos secuta est fugientem? quia maluit exul esse alibi, quàm felix domi? Hic juvenum desultorius est amor; hæc levitas illorum, quorum constantia & fortitudo celebratur. Habuerit causas Jason, cur Medea non placeret amplius; quod enim malè coalescit, non malè dissolvitur; veneficia secum in dotem attulerat illa. At cur Ariadnen deseruit Theseus, quam adeo virtus commendabat? nempe simplices sunt puellarum animi, & nimium creduli: pollicitis induentur falsis in conubia. Sub spe maritalis tori quot fraudes latent! Epithalamio futuro præfultant Veneres, larvas amantium indutæ, finguntur risus & joci, obtruditur palpum, intenduntur offuciæ, capitur innocentia, pudore spoliatur. In aucupio tam doloso quot incautæ irretiuntur animæ! Capta fuit Ariadne, sed innocenter; cuius utique meruit virtus inter astra habere sedem, Theseus, uti retulimus, torquetur apud inferos, Poëtarum judiciò. Sæpe namque fit, ut quem nimia felicitas extulit, & secunda gestarum rerum fama Diis pœnè miscuit, eum detrahant in imum vitia, faventiosem plerumque fortunam comitantia.

VI. (g) Pugna Centauros inter & Lapithas vino graves, exorta, quid moneat, docet Horatius lib. 1. Od. 18.

At ne quis modici transiliat munera Liberi
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata.

Describit Ovidius insaniam ebriorum:

----- ardescunt germani cæde bimembres:
Certatimque omnes uno ore arma, arma loquuntur;
Vina dabant animos; & primâ pocula pugna
Missa volant, fragilésque cadi, curvique lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus aptæ.

Id hodièque vinariis & cervisariis in tabernis factitant opifices & agrestes coloni, qui postquam mensam in orbem coronarunt cubitis, mediocribus initio se poseunt poculis, paulatim majoribus; denique amyftide bibunt; uno scilicet haustu & ductu bicongios, & tricongios cantharos exhauriunt; inde fluctuare cerebrum, lingua solvi in jocos illiberales, dicteria, scommata, dissonis clamoribus personare ædes, conspurcari vomitu

E c

pavimen-

(f) Puellarum deceptio. (g) Symposiorum & comessationum tempestas.